

2. *Contraria opinio verior, & hodie recepta.*
3. *Ha reservationes tantum fuerunt temporales.*
4. *Quandam transferunt in Regulas Cancellariae, incertum.*
5. *Reservationes ha saltem sub fine ſeculi XV. erant in Regulis Cancellariae. (fuere.)*
6. *Reservationes ha ſucceſſu temporis multum aucta*
7. *Reſertur prima Regula Cancellariae uti hodie exprimitur.*
8. *Reſeruntur Reservationes Extravagantis Ad regimen.*
9. *Additio prima ad hanc regulam facta a Xyſto V.*
10. *Additio ſecunda Clementis VIII. & quare.*
11. *Hac additio hic non eſt in uſu.*
12. *Reſervatio Extravagantis Execrabilis ab uſu receſſit*
13. *Propoſitur textus ſecunda Regula Cancellariae.*
14. *In quibus aucta vel mutata.*
15. *Hac Regula hodie in multis Regnis non obtinet.*
16. *Notabilis Reſervatio huic Regulae adſciſſa ſolita primum induſa per Pium V.*
17. *In Gallia, Germania & Belgio locum non habet.*
18. *Probatuſ quibusdam exemplis quoad Belgium.*
19. *In Patria Obedientia uſus Reſervationum quomodo retineatur.*
20. *Reservationes in Patria Obedientia Regno Galliae incorporatae reſtrictae ad Reſervationem Menſium & Alternativa.*
21. *Eadeſ reſtrictio per uſum in Belgio invaluiſe videtur.*

Ratet generalem reſervationem Beneficiorum vacantium apud Sedem Apoſtolicam qua vulgo dicitur reſervatio clauſa in Corpore Juris, de qua actum eſt capite praecedenti, ſunt inſuper reſervationes Joannis XXII & Benedicti XII. quae a nonnullis quoque reſervationibus clauſa in Corpore Juris annuuntur: ſed reſervatio quod extendit in Extravagantibus EXECRABILIS & AD REGIMEN de Praebendis inter communes, quae Corpori Juris Canonici ſolent annexae, & partem condituere.

II. Attamen eas extra Corpus eſſe, communis eſt opinio, & hodie recepta. Nam licet Extravagantes tam Joannis XXII. quam Communes ſoleant Corpori Juris adſciſſi, atque cum Decreto Gratiani & Decretalibus Gregorii IX. & Bonifacii VIII. unum volumen ſeu Corpus hodie conficere; tamen clauſa in Corpore Juris non reputantur, ſed extra Decretum & Decretales *vagari*; propterea Extravagantes appellatae.

III. Adhaec, ut communiter obſervant Canonice, non poſſunt ha reſervationes haberi pro clauſis in Corpore Juris; quia tantum ex mente Auctorum temporales tuere. Dicit enim Benedictus XII. Ordinationi, diſpoſitioni, & proviſioni noſtrae reſervamus, donec miſerationis Divinae clementia nos univerſalis Eccleſiae regimini praſidere conſigerit. Ex quibus manifeſtum eſt, reſervationem non niſi vita ſua durante Pontificem durare voluiſſe.

IV. Quando vero ha reſervationes quaſi perpetuae factae ſint per relationem in Regulas Cancellariae, quae per omnes Pontifices altero aſſumptionis die de novo publicati & renovari ſolent, incertum eſt.

Dicit quidem Gomeſius in prooemio ad Regulas Cancellariae q. 1. Regulas Cancellariae a Joanne XXII. initium & originem habuiſſe; at una notat q. 2. "quod ha Regula ab initio introducta fuerint, ut Officiales Cancellariae per eas in litteris expediendis inſtruerentur, ut patet (ait) ex Regulis Joannis XXII. & Benedicti & aliorum. Et licet a tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa *judicia* additum ſit, illud tamen reſpicit actum in Curia gerendum.

Apparet ergo primitus, etiam uſque ad tempora Nicolai V. qui ſedit ſub mediis ſeculi XV. regulas Cancellariae

riae unice penes reſpexiſſe formam expediendi litteras, & *judicia* in Cancellaria reddenda; non autem reſervationes Beneficiorum ſimileſque materias extra Cancellariam ſe extendentes.

V. Quidquid ſit, conſtat, reſervationes contentas in citatis conſtitutionibus ſeu extravaganſibus, Regulis Cancellariae tempore Innocentii VIII. (qui ſedit circa finem ſeculi XV.) fuiſſe inſertas; uti evidens eſt ex hujus Pontificis Regulis, ad quas antiquus Gloſſator Alphoſus Sotto Hiſpanus ſua Gloſſemata ſcripſit, quaeque ulterioribus annotationibus illustravit Joannes a Chokier Eccleſiae Cathedralis Leodienſis Canonicus.

VI. Ulterius & hoc conſtat, reſervationes haſ per ſubſequentes Pontifices in promulgatione Regularum Cancellariae, quam altero ſuae aſſumptionis die facere conſueverunt, in multis auctas fuiſſe.

VII. Regula prima hodie hoc tenore exprimi ſolet: "Imprimis fecit eaſdem Reſervationes quae in Conſtitutione ſel. record. Benedicti PP. XII. quae incipit, *Ad regimen*, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiam ſi Officiales in eadem Conſtitutione expreſſi Apoſtolicae Sedis officiales ante obitum eoruſſe deſiderint, quoad Beneficia, quae tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quae dictae Sedis Officiales, qui ratione officiorum ſuorum hujusmodi ejuſdem Sedis Notarii erant, etiam dimiſſis iſtis officiis, & quando cumque aſſecuti fuerint ſub hujusmodi reſervationibus comprehenduntur. Ac reſervavit Beneficia, quae per Conſtitutionem praedictam Joannis PP. XXII. quae incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint. Quam Conſtitutionem, & reſervationem S. S. tam ad beneficia obtenta, quam alia quaecumque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores Concilii Tridentini decreta diſpoſuerunt, & diſponunt in futurum extendit, & ampliavit, & ea etiam beneficia omnia diſpoſitioni ſuae reſervavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejuſdem Concilii decretorum formam diſpoſitum fuerit. Decernens irritum, &c.

VIII. Primum itaque per hanc regulam renovantur reſervationes contentae in Extravagante Benedicti XII. quae incipit *Ad regimen*, qua reſervantur imprimis Beneficia vacantia per aſſecutionem quorumcumque Beneficiorum a Sede Apoſtolica obtentam. Item beneficia omnia quae promoti ad Episcopatus auctoritate Apoſtolica tempore ſuae promotionis obtinebant. Item beneficia Officialium Curiae Romanae, qui in ipſa Extravagante exprimitur. Haec ultima reſervatio a tempore Innocentii VIII. ſuit per hanc regulam extenſa ab beneficia, quae dicti Officiales obtinebant tempore quo erant Officiales, tamen tempore mortis Officiales eſſe deſiſſent.

IX. Reliqua vero quae ſequuntur poſt Innocentium VIII. tempora addita eſſe notat Chokier ad hanc regulam num. 8.

Et quidem haec appendix: *Declarans nihilominus*, uſque ad verba, *Conſtitutionibus comprehendis*, appoſita ſuit a Xyſto V. qui demum anno 1585. ad Pontificatum fuiſſe aſſumptus: idque occasione difficultatis, quae circa Extravagantem *Ad regimen*, & hanc regulam in Rota Romana exorta fuerat; uti ex Garcia reſert Chokier.

X. Altera appendix quae incipit a verbis, *quam conſtitutionem & reſervationem*, & ſinit in verbis, *diſpoſitum fuiſſe*, appoſita ſuit per Clementem VIII. anno 1592. aliaque ſequentes Pontifices retinuerunt.

Obſervat autem Chokier hanc poſtteriorem appendixem eo fuiſſe adjectam, ut praeter dictas reſervationes, etiam haec induceretur ob non obſervatam Conſtitutionem Pii V. de data 16. Maii 1566.

Haec Conſtitutio eſt illa, qua uictus Pontifex formam Concursus a Synodo Tridentina praerſcriptam explicat, & in nonnullis extendit; uti titulo praecedenti anno.

notavimus: eam ſe in Belgio receptam non eſſe obſervavimus; & hic de Brabantis teſtatur Chokier dicens: *Juxta quam* (Conſtitutionem Pii V. Cancellariae & Rota *paſſim* *judicat*, licet BRABANTI eam non admiſerint.

XI. Porro uti ipſa Conſtitutio haec uſu recepta non eſt, ita nec appendix Regulae, & in ea contenta reſervatio uſu recepta eſt. Neque enim ulla haec uſu Beneficia Sedi Apoſtolicae reſervata; aut Sedis Apoſtolicae proviſionem admiſſam ſcitimus de Beneficiis ob non ſervatam in eorum collatione Concilii Tridentini Decretum; praecipue quoad Eccleſias Parochiales, quas in Belgio tamquam ab omni Pontificia reſervatione exemptas Ordinationi conferunt.

XII. Similiter reſervatio Extravagantis *Execrabilis* hic innovata, qua reſervatur Beneficium vacans ob retentionem alterius Beneficii incompatibilis, ab uſu receſſit; quemadmodum notavit Rebuffus in Praxi parte 1. tit. De Forma ſignatura, & Garcia de Beneficiis parte 1. cap. 5. n. 47.

XIII. Secunda Regula olim hac formula expreſſa fuit: "Item reſervavit ſpecialiter omnes Eccleſias etiam Patriarchales, Archiepiſcopales, Episcopales, nec non Monasteria virorum valorem 200. florenorum auri communi exiſtimatione excedentia, quotieſcumque illis uti voluerit.

XIV. Haec regula congruit cum Regulis poſteriorum Pontificum; niſi quod cauſa majoris lucis addita ſit vox *Primaſialis* poſt dictionem *Patriarchalis*: & loco clauſulae finalis, *quotieſcumque* &c. reſcripta ſit iſta, *Et voluit quod exceſſus ejuſmodi in litteris exprimat.*

XV. Regulam hanc reſervativam Eccleſiarum Metropolitanarum & Cathedralium, neque in Belgio, neque in Gallia, nec Hiſpania locum habere notorium eſt; utpote Regibus nominationem Episcoporum, ſive jure Indulti, ſive Concordati habentibus, quemadmodum parte 1. tit. 13. cap. 8. oſtenſum eſt.

Similiter, nec quoad Monasteria virorum ullus eſt hiſce in Provinciis Regulae uſus. Ad Abbatis enim Reges perſonas nominare ſolent: Prioratus vero Conventuales & perpetui eligibiles eſſe ſolent; neque ulla Monasteria in Belgio vigore Regulae Cancellariae, aut alio jure reſervata novimus.

XVI. Huic Regulae Pius V. anno 3. ſui Pontificatus aliam reſervationem adſciſſit, quae hodie partem hujus Regulae facit; atque hiſ verbis exprimitur: "Ac etiam reſervavit Dignitates, & beneficia omnia ad collationem, praerſentationem, electionem, & quaecumque aliam diſpoſitionem Patriarchatum, Primatum, Archiepiſcopatum, & Episcopatum, nec non Abbatum, ac aliorum quorumcumque Collatorum, & Collatorum, ſecularium, & regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius praerſentationem, vel electionem pertinentia) quae poſt illorum obitum, aut Eccleſiarum, ſeu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum ſuarum dimiſſionem, ſeu amiſſionem, vel privationem, ſeu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, uſque ad proviſionem ſuſceſſorum ad eaſdem Eccleſias, aut Monasteria, vel Dignitates Apoſtolicae auctoritate faciendam, & adeptam ab eiſdem ſuſceſſoribus pacificam illorum poſſeſſionem, quomodocumque vacaverint, & vacabunt in futurum.

XVII. In Gallia hanc quoque reſervationem ceſſare propter Concordata & jus Regaliae, notat Chokier ad hanc Regulam: uti nec in Germania ubi Concordatis locus eſt.

Haec quoque Belgiae Provinciae hanc Pianam reſervationem agnoſcere non videntur: ſed Beneficia ad liberam Episcoporum collationem ſpectantia, ſi Sede vacante contingat vacare, futuro Episcopo reſervantur.

XVIII. Unde etiam quidam Dinoix impetraſſet a Pontifice Van Elpen Jur. Eccl. P. II.

tifice vigore hujus Regulae duos Capellanos, unam in Eccleſia B. Mariae, & alteram in Eccleſia S. Walburgis in civitate Brugeſi ſpectantes ad liberam collationem Episcopii Brugeſis, quae vacaverat *Sede vacante*; iſque peteret *Placetum* a Concilio privato, fundando ſe in Regula Cancellariae hac Pianae appendice aucta: Concilium privatum petiit ad viſamentum a Vicariatu Brugeſi, qui reſpondit, in novis Episcopatibus Belgicis fructus perceptos tempore vacationis reſervari futuro Episcopo; cumque collatio Beneficiorum computetur inter fructus, eam quoque reſervandam eſſe; & ita obſervari Atrebati, ubi jus Regaliae locum non habet. Tornaci autem ob jus Regaliae Regem ibidem conferre, nec Pontificem ullatenus ſe immiſcere, Regulam autem Cancellariae cum hoc additamento hic numquam fuiſſe receptam, aut placetam. Conformiter ad hoc ad viſamentum, *Placetum* negatum fuit per apoſtillam 20. Novemb. 1641. uti & in ſimili caſu negatum fuit in eodem Concilio 1. Martii 1642. Carolo Meſturur, qui impetraſſet a Pontifice Praebendam Furnenſem, quae vacaverat Sede Episcopali Ipreſi vacante.

XIX. Licet enim hiſce in Regionibus Regulas Cancellariae, nec non reſervationes Apoſtolicas agnoſcamus; atque ob id dicantur *Patria Obedientia*, quemadmodum in Regno Galliae dicuntur Ducatus *Britannia* & Comitatus *Provincia* vulgo *Provence*, ad diſtinctionem aliarum ejuſdem Regni Provinciarum, quae concordatis utuntur; cum ea tamen moderatione recipiuntur, ut privilegiis, juribus ac moribus inveteratis Provinciarum accommodentur; nec aliam eſſe Pontificum mentem arbitrantur. Et ſi quid in litteris aut proviſionibus Romanis hiſce contrarium continetur; credunt vel per *ſub* aut *obreptionem* a Pontifice emanari; aut certe, eos ſuas Regulas, aut Decreta generaliter expreſſa, ad Provincias, aliis legibus & uti inveterato utentes nolle extendi: ideoque dum earum executionem ſuſpendunt, nihil contrarium auctoritati, aut praereminentiae Sedis Apoſtolicae facere arbitrantur Judices Regii; uti titulo ſequenti latius oſtendetur.

XX. Reſert Peralduſ Gaſtellus in ſua Praxi Curiae Romanae pag. 332. Nuntium Apoſtolicum anno 1544. obtinuiſſe ab Henrico II. Rege Galliarum declarationem, qua decretum fuit, quod Concordatum non obtineret in Britannia, & quod Regulae Cancellariae, quin & illa *De Menſibus* & *Alternativa*, & generaliter omnia alia jura Papae quibus gaudet in *Patria Obedientia* locum haberent in hac Provincia, uſque ad ipſam etiam expeditionem Bullarum *ſub plumbo*: "quod tamen (ait Gaſtellus) reſtrictum fuit anno 1553. per actam declarationis, ad ſolam Regulam *De Menſibus* & *alternativa*.

XXI. Reſtrictio, quae per actam declaratoriam facta ſcribitur quoad Britanniam, eadem, ſi non expreſſa declaratione, uſu ſaltem quoad haec Belgicas Provincias eſſe facta videtur. Nam praeter reſervationem *Menſium* & *Alternativa*, non apparet alia hic reſervatio Regularum Cancellariae nota aut uſitata: unde caeteris omiſſis hanc ſolam in ſequentibus elucidabimus.

CAPUT V.

De Reſervatione octo menſium.

1. *Tempore Concilii Baſilienſis Pontifex dabat Expectativas in octo menſibus.*
2. *Quatuor menſes erant liberi.*
3. *Nulla tunc erat menſium reſervatio.*
4. *Inducta eſt octo menſium per Regulam Cancellariae.*
5. *Hac Regula quando octavo loco poſita ſit. (da?)*
6. *Hac Regula qua ratione dicatur odioſa, & reſtricta.*

7. *Menses computandi ut jacent.* (vato.)
8. *Episcopus quando censetur conferre in mense reservationis.*
9. *Si dubitetur, quo mense vacaverit, presumitur pro possessore.*
10. *Si nullus sit possessor, presumitur pro Ordinario.*
11. *Beneficium vacans in mense Ordinarii semper manet ad dispositionem Ordinarii; & vacans in mense reservationis, manet reservatum.*
12. *Debet reservationis plena esse probatio.*
13. *Cessat reservatio hac mortuo Papa.*
14. *Similiter alie reservationes inducuntur per Regulas Cancellariae.*
15. *Sede Apostolica vacante Ordinarii liberè conferunt.*
16. *Regula etiam comprehendere videtur Ecclesias Parochiales.*
17. *Ufus in Belgio hac à reservatione exempta videtur.*
18. *Dignitates electivae non comprehenduntur sub Regula.*
19. *Dignitatum collatio & electio in multis Ecclesiis libera est à reservatione.*
20. *Leodiensibus Decanatum electio in omnibus mensibus concessa.*
21. *Canonici graduati à reservatione exempti.*
22. *Reservatio hac se non extendit ad Beneficia Patronatus laici.* (Belgia.)
23. *Idem quocumque titulo laicis competat, saltem in*
24. *Etiam si mixtum sit.*
25. *Imò licet plures sint Ecclesiastici Patroni, quam laici.*
26. *In Hispania Beneficia juris patronatus Ecclesiastici etiam exempta sunt; quod & in Belgio videtur usque receptum.*
27. *An Beneficia certo generi personarum conferenda comprehendantur sub generali reservatione.*
28. *Notandum monitum Covarruviae in hac materia.*
29. *Beneficia simplicia in multis Ecclesiis exempta à reservatione; quare.*
30. *Regula includit omnem vacationis modum; excepta vacatione per resignationem.*
31. *Sub resignatione hic comprehenditur permutatio; quam in omni mense Ordinarii admittere possunt.*



Quod Papa circa tempus Concilii Basiliensis soleret dare expectativas à mandata de providendo in octo mensibus per Regnum Galliarum, indicat ipsa Pragmatica Sanctio tit. De Collationibus §. Frustra enim, ubi abolitis omnibus Expectativis, hac moderatio subijcitur: "Exceptis illis gratis & nominationibus super quibus processus sunt expediti, quas ex certis rationalibus causis in octo mensibus, quibus habitus cursus habere consueverunt, tolerandas duximus, donec aliter ordinatum fuerit."

II. Et in eadem Sanctione eodem titulo §. Quod si quis, sit mentio quatuor mensium, quibus gratia expectativa vel nominationes cursus non habent.

Ad quae verba reflectens Cosmas Guimier Sanctionis hujus Glossographus ait: "Olim habebant Ordinarii quatuor menses liberos, in quibus non fortiebantur effectum gratiae expectativae, sed per concordata inter Sixtum IV. & Ludovicum XI. Regem Franciae, quae incipiunt Ad universales, habuerunt sex menses Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris. Hujusmodi tamen concordata non sortita fuerunt effectum, tamquam juri communi, & decretis Constantien. & Basilien. contraria. Habetur citata Constitutio Sixti IV. in Extrav. I. De Tempore & Pace inter communes."

III. Porro tam ex citatis verbis Sanctionis, tum Extravaganantis Sixti IV. apparet, quod nulla eo tempore facta fuerit mensium reservatio; sed Pontifices dumtaxat declaraverint, quatuor menses esse exemptos à gratiis expectativis, quae tum temporis admodum erant fre-

quentes: ita ut propè tunc non esset octo mensium reservatio in favorem Sedis Apostolicae; sed potius reservatio quatuor mensium in gratiam Ordinariarum contra Expectantes & Mandatarios Apostolicos; uti etiam advertit Gastellus loco citato pag. 329.

IV. At successu temporis per Regulam Cancellariae introducta est octo mensium reservatio; vocaturque vulgò Regula De Mensibus; quae his verbis exprimitur: "Item cupiens idem D. N. Papa pauperibus clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suam voluntatis beneplacitum, extra Romanam Curiam aliàs quam per resignationem, quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, & collatricum, secularium & quorumvis Ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, aut aliorum, sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & per eos, qui illa acceptare, & observare debuerant, acceptatis, & observatis, quae ledere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quae de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fieri, de mense in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles, optandi majores, & pinguiores praebendas, nec non privilegia etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus numquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores, pro expressis haberi, & latissime extendi voluit, quibusvis personis, & collegiis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minime suffragari."

V. Notat Gonzales ad hanc regulam Glossa 1. n. 5. quod meritò in novis regulis fuerit hac regula apposita in octavo loco, continuata cum ceteris regulis de reservationibus loquentibus, & sublata de loco in quo erat tempore Pii V. & Gregorii XIII. Nam tunc erat (ait) sita prope finem omnium regularum Cancellariae, & in ordine 69.

VI. Hac regula, in quantum reservat Beneficia ad collationem seu dispositionem inferiorum Collatorum spectantia, "est Episcopis & Ordinariis praesudicialis, & detrahit potestati ordinariae, & corrigit jus commune, & eatenus regula hac odiosa est, ait Chokier in proemio Regulae num. 20. & consequenter restringenda;" uti multis docet Gonzales ad hanc regulam §. 6. Proemiali.

VII. Menses, de quibus loquitur regula, computandos esse prout ipsi collocantur, & jacent per totum circulum anni, sive quilibet mensis habeat 30. dies sive plus sive minus, monet post alios Gonzales Glossa 1. n. 1. "Quo fit (ait n. 9.) ut mensis Apostolicus terminetur in dimidia nocte ultimi diei, & ex illa dimidia nocte in posterum incipiat mensis ordinarius, & durat usque ad dimidiam noctem ultimi diei illius mensis, Leg. MORE ROMANO, ff. De feriis."

VIII. Hinc ulterius n. 11. "Proinde, quando Episcopus confert aliquod beneficium vacans ad finem sui mensis, vel in principio illius, in illa ultima no-

te, quae dat finem mensi ordinario, & principium mensi Apostolico, vel de converso, consultè faciet si ante collationem faciat examinari testes de hora, & puncto orbitis ultimi possessoris, & in ipso collationis instrumento annotaverit, ut sic evitetur controversia, quantum possibile sit, super tempore vacationis, an contingit in mense ordinario, vel potius in Apostolico."

IX. Post hac inquiritur, si dubium sit, quo mense vacatio contigerit, cui onus probandi incumbat. Respondetque pro possessore esse praesumendum; & si quis contra Possessorem praetendat, is probare debeat, vacationem in hoc illo mense contigisse.

X. Quod si neuter sit in possessione, tunc praesumptio erit pro illo, qui ab Ordinario collationem obtinuit: quoniam non solum non praesumitur reservatio ratione mensis, sed etiam debet concludenter probari vacatio de mense Apostolico, ut Provisus à Papa obtinere possit.

"Ratio est, quia cum ordinarius, & provisor ab eo fundet intentionem suam de jure communi, Cap. ex frequentibus de Institutionibus. Felinus in cap. cum venerabilis, n. 32. de exceptionibus. Rota decif. 78. n. 1. & per totam, parte prima diversorum, & diximus in §. 1. proemiali, in princip. Et sublata reservatione nostrae regulae Episcopus possit providere liberè in omnibus mensibus Caput. decif. 214. n. 5. part. 2. Cassad. decif. 3. n. 4. & decif. 4. n. 1. & 2. de Privilegiis. Puteus decif. 492. n. 3. lib. 2. Crescentius decif. 3. n. 4. de privilegiis: sequitur, quod provisor ab ordinario nihil aliud probare tenetur, nisi anterioritate suae collationis in jure communi fundatam, & quod onus probandi reservationem, ratione mensis spectat ad provisorum Apostolicum se fundantem in vacatione in mense Apostolico, cum hoc sit suae intentionis fundamentum."

XI. Hac Gonzales, qui ibidem n. 48. & sequentibus probat, Beneficium vacans per mortem Beneficiarii in mense Ordinarii manere ad provisionem Ordinarii, etiam si vacatio duraverit usque ad mensem Apostolicum; quemadmodum Beneficium cuius vacatio contigit in mense Apostolico, manet reservatum, licet vacatio protrahatur ad mensem ordinarium.

XII. Denique notat n. 98. quod quando agitur de probanda vacatione in certo mense ad effectum reservationis, tunc, sepositis particularibus circumstantiis, probatio debeat esse plena & concludens: atque in Rota decisum quod semper impertans teneatur plene & concludenter probare narrativam vacationis; in qua principaliter se fundat ad inducendam reservationem.

XIII. Dicit Pontifex in hac Regula, se in dictis mensibus reservare Beneficia usque ad suam voluntatis Beneplacitum: cuius clausula vigore cessat reservatio mortuo Papa, quemadmodum decidit in Cap. 1. De Rescriptis in 6.

XIV. Imò etsi hac clausula adjecta non esset, tamen ex natura Regularum Cancellariae, per mortem Papae reservatio extingueretur. Regulae enim Cancellariae morte Pontificis extinguntur; ut monet Gomezus q. 2. proem. ad Reg. Cancell. quod & significatur per verba proemialia Regularum, Ex tunc suo tempore duraturas; unde & per novum Pontificem altero assumptionis suae die de novo publicantur. Quae publicatio non ad illam effectum fit, ut innotescant, cum ferè eadem Regulae sunt, quae approbantur, sed ut per hujusmodi publicationem dignoscatur voluntas approbatoria ipsius novi Pontificis. Hæc Gomezus.

XV. Hinc deducitur, quod vacante Sede Apostolica Ordinarii liberè conferant Beneficia in omnibus mensibus sine ulla distinctione; quia tunc sunt obstatula sublata, & omnes menses dicuntur Ordinarii, idque donec & quousque novus Papa fuerit assumptus ad apicem Pontificatus, ac potius, donec is Regulas Cancellariae publicaverit, quod solet postmodum suae assumptionis.

XVI. Regula hac in mensibus designatis reservat generaliter omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia.

His ergo verbis Regulae attentis, & in sua generalitate, prout sonant, intellectis; dubium non apparet, quin hac imprimis reservatione comprehendantur Ecclesiae Parochiales, utpote Beneficia curata sive cum cura.

XVII. Verum reservationem Ecclesiarum Parochialium per Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 18. De Reformatione sublata esse credunt nonnulli cum Navarro; idque usu in multis Diocesisibus fuit receptum, ut nuper plurimi Episcopi harum regionum testati sunt in gravi quadam causa, ait Zypæus Consult. 1. De Elect. Deinde notat, quod Concilium Tridentinum hic sit receptum, prout sonat, non ut quotidianæ interpretationes, Decretis, Constitutiones Roma adferri possint, quae Decretum alterent, amplient, aut restringant, vel Regulam octavam De Reservationibus, quoad Beneficia curata Parochialia abrogatam restituant.

XVIII. Sub generalitate illa verborum licet videantur comprehendi etiam Beneficia majora, tamen, quia Dignitates nominatum non exprimuntur, etiam non censentur comprehensae; praesertim si sint electivae confirmativae; quas sub generali reservatione non comprehendit supra notavimus.

XIX. Hinc usu harum regionum, Dignitates hujusmodi electivae à reservatione sunt exemptae; eliguntque passim Capitula suos Decanos in omnibus mensibus sine ulla distinctione: neque ulla quoad hæc Dignitates reservatio hic nota est.

Quin & passim Dignitates electivae collativae ab hac reservatione sunt solutae, ipsaque Capitula liberè eas in omnibus mensibus eligendo conferunt.

XX. Testatur quoque Chokier ad hanc Regulam Glossa 12. n. 24. Adrianum VI. reliquisse electiones liberas Decanatum in civitate & Diocesi Leodiensi consistentium, nec illos sub speciali vel generali reservatione comprehendi.

XXI. Ex speciali declaratione Pauli IV. in Bulla erectionis novorum Episcopatum, novem Praebendae affectae Graduatis ab omni quacumque reservatione eximuntur; uti ostensum est supra parte 1. tit. 1. c. 1. n. 7. Unde & illae sine ulla mensium distinctione à Canonice Graduatis unà cum Episcopo juxta tenorem Bullae eliguntur; uti & Archidiaconus, Archipresbyter & Penitentiarius & Canonice Graduatis assumendi, ab Episcopo liberè in omnibus mensibus constituuntur.

XXII. Sicuti sub generali Beneficiorum expressione non veniunt Dignitates; ita nec sub generali reservatione comprehenduntur Beneficia Juris patronatus laicalis, apud omnes expeditum est: soletque hujus conclusionis ratio hac assignari, ne laici retrahantur à fundatione, constructione vel dotatione Ecclesiarum seu Beneficiorum; ita post alios Gonzales Gloss. 18. n. 3.

XXIII. Hinc concludunt, quod reservatio includat Beneficia Juris patronatus laicalis; quando hoc competit, non ex fundatione, constructione aut dotatione, sed ex praescriptione, consuetudine vel privilegio. Ita Gonzales dicto loco n. 18. Hinc refert n. 22. quod ad excludendam reservationem nostrae Regulae, ratione Juris patronatus laicalis oporteat docere de Jure patronatus ex fundatione vel constructione, aut dotatione.

Verum hac non consonant praxi hodiernae praesertim Belgicae, quae ab omnibus reservationibus, expectativis, nominationibus, quin & concursu eximit generaliter Beneficia Juris patronatus laicalis; quocumque titulo jus illud laicis acquisitum sit.